



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non
peraguntur, ves fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu
peragi possint

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

11. Explicantur varia in Missa Sabbathi S. observanda.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54780)

tione. Quia tres pueri, de quibus in Prophe-
tia duodecima & ultima agitur, noluerunt ge-
nua flectere statuae Nabuchodonosoris. Finitis
Propheciis proceditur ad benedictionem fontis
baptismalis. Et quia per baptismum significa-
tur mors, sepultura, & resurrectio Christi teste
Ap. ad Rom. 6. Hinc is potissimum hoc die ce-
lebrabatur. Litaniae omnium Sanctorum bap-
tismo Catechumenorum peracto canebantur ad
significandum confortium omnium Sanctorum
cum neobaptizatis.

II. *Explicantur varia in Missa Sabbathi S.
observanda.*

IN Missa Sabbathi S. praecedit *Alleluja tractum*,
quia gaudium quidem insinuatur Paschale,
sed nondum est plenum. *Alleluja* enim gau-
dium, *tractus* luctum designat. Est ergo lati-
tia in spe proxima de insecutura Christi resurre-
ctione. Ad Evang. non portantur luminaria,
sed tantum incensum, per quod significantur
aromata mulierum ad monumentum apportata
sine lumine fidei. Devotio aderat, fides obscura
& infirma erat circa divinitatem Christi. Non
dicitur *Credo*, quia Apostoli nondum crede-
bant resurrecturum Christum. Non *Offerto-
rium*, quia mulieres sub silentio ibant cum aro-
matibus ad sepulchrum. Pacis osculum non da-
tur, quia nondum dixisse narratur Christus *Pax
vobis*. Non dicitur *Agnus Dei*, quia nondum
credebatur Christus Redemptor animarum ad
tollenda peccata hominum. *Postcommunio*
omit-

orantur, quia in hac quoque Missa alii non communicant. Ità quoad omnia Gavanti, citans Patres, aliosque viros sanctos ac doctos à tota retro antiquitate venerandos. Dignum autem est talia scire saltem Sacerdotes, quorum multi minùs in rebus hisce versati hætenus allata & adferenda meliùs intelligerent, gustumque in iis haberent. Si laborem illum v. g. tempore exercitiorum [in quibus Hæctoreus suadet pro consideratione Sacerdotis, ut materiam desumat uno alterove die ex rubricis de Missa & horis] in se susciperent, & rubricas præmeditatè pervolverent. Quia certè Ecclesia per illas semper symbolici aliquid inculcat. Quòd si jam quis præterea Gavantum aliosque quoad finem illum, quem ego in hoc libello intendo, pervolaret. Inveniret quoque, me notabiliora excerpisse, & licet pia, si torta sint, à longè quæsita, vel aliquomodo coacta consultò præterisse. Quia & solida devotio non indiget hujusmodi adjumentis, & cordato homini, sicut in moribus modoque agendi, ità nec in rebus sacris affectata aut coacta placent. Crisis tamen nimia etiam vitanda est, tum quia provenit ab indole in crises etiam non fundatas pronâ, tum quia sæpè oritur ab inscitia eorum, quæ sancta Dei Ecclesia Pontifices & SS. PP. judicarunt congruere ad hæc vel illa mysteria denotanda. Hinc aliis abreptus studiis priùs non debes decisivam ferre, quam evolutis in hac materia autoribus & eorum assertis prudenti mentis trutinâ ponderatis.